



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 48. Baji Tractatus de peccato originali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

autem abhinc anno usque ad anni mil-^{Sæcul. XVI.}
 lesimi quingentesimi sexagesimi quarti ^{A.C. 1565.}
 exitum Bajus nullum edidit librum,
 exeunte autem hoc anno ea, quæ elu-
 cubrabat, nonnisi ad quædam redigun-
 tur opuscula de peccato originali, de
 operum meritis, de primæva hominis
 justitia, de virtutibus impiorum, de Sa-
 cramentis in genere, ac denique de
 forma Baptismi.

§. XLVIII. 1

*Baji Tractatus de peccato ori-
 ginali.*

Bajus tractatum de peccato originali *Inter opera*
 in septendecim capita divisit, atque *Baji p. 1.*
 in primo discussit, in quo Pelagianorum *Et seq.*
 errores circa hoc dogma consi-
 stant, quæve sit peccati originalis essen-
 tia, ubi decidit, quod non consistat
 in simplici privatione justitiæ, neque e-
 tiam, prout Theologi tradunt, sit pec-
 catum omissionis, sed commissionis, *cap. 1.*
 quæ dici nequit simplex privatio ex eo, *cap. 2.*
 quod vitiosus, & inordinatus, in quo na-
 scimur, sit actus, qui in infante veluti
 consopitus est, reviviscit autem magis,
 atque exterius magis se prodit, quo
 magis infans ætate crescit, quem in
 mala pene innumera præcipitat, nisi
 Dei misericordia ejus concupiscentiæ
 cursum cohibeat. Postea Bajus hoc *cap. 3.*

G g 2 pec-

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

cap. 4.

cap. 5.

cap. 6.

peccatum in quatuor partes, seu totidem effectus particulares, quos in nobis producit, partitur, eorumque primum dicit esse ignorantiam in intellectu II. malitiam in voluntate. III. rebellionem partis inferioris animæ contra superiorem. IV. seditionem sensuum, qui omnes effectus duobus hisce verbis: *Peccati lege, & lege membrorum* circumscribuntur: porro inde concludit in capite quarto, quod omnes filii iræ nascamur, ac damnationis æternæ rei simus. In sequentibus capitibus plures sibi metipsi difficultates opponit, quas simul dissolvere nititur, ac primo quidem quærit, quare concupiscentia, & lex membrorum sit potius vitium in homine, quam in bestiis? porro ad hoc sibi metipsi respondet dicens, quod hominem exornet ratio, quæ, quidquid in illo agitur, dirigere debet, cum contra bruta penitus careant ratione, quæ est Creatoris donum homini unice datum, ut consone ad supremam rationem, quæ Deus est, agat, contra vero animalia præter suam naturam nihil amplius habeant. Altera ejus difficultas in eo consistit, quare concupiscentia adeo differat, etsi peccatum originale in omnibus, qui in lucem eduntur, sit æquale: ad hoc autem respondet, quod peccatum originale existat æquale

IX.

æquale, quatenus nos omnes æquali Sæcul. XVI.
 fato reddit inimicos Dei, & iræ filios, A. C. 1565.
 quantum vero ad effectus hujus pec-
 cati attinet, hi diversi sunt juxta va-
 riam hominum constitutionem, educa-
 tionem ab ipsis habitam, status conditio-
 nem ab iisdem selectam, gratiasque ac-
 ceptas, quas Deus, cum nemini quicquam
 dare teneatur, aliis jufte denegat. Ter-
 tio quærit, quomodo infans cujusdam
 peccati, quod tamen non commisit,
 reus esse possit: ad hanc autem quæ-
 sitionem respondet Bajus, quod quoad id
 necessitas tantum suadeat, ut quisvis sciat,
 fidei articulis nobis indicari, quod om-
 nes in peccato nascamur, hæcque ma-
 ledictio in omnem Adæ posteritatem
 sit pronuntiata eo ipso tempore, quo
 in primum hominem Peccatorem lata
 fuit: præterea credere oporteat, quod
 hoc peccatum, etsi nobis non fit
 voluntarium, re tamen ipsa in nobis exi-
 stat, certumque constet, quod in no-
 stra anima dominetur, quamprimum
 hæc creatur. Eodem ferme modo dis-
 solvit quartam difficultatem, qua in-
 quirebat, quomodo infans, qui a paren-
 tibus suis duntaxat corpus accipit, il-
 lorum defectus, & vitia, quæ ad ani-
 mam spectant, sibi acquirere queat? Id
 fieri, inquit Bajus, certum est, cum il-
 lud nos doceat experientia: quommo-
 do

cap. 7.

cap. 8.

Sæcul. XVI. do autem id fiat, ab aliis discere ma-
 A.C. 1565. lo, quam ipse edicere; vereor enim, ne
 temeritatis notam incurram, si ea,
 quæ nescio, decidere præsumo. Solu-
 tis hoc modo hisce difficultatibus pau-
 cis sequentes propositiones tanquam
 totidem veritates per proxima capita
 tradit. I. Infantes a Christianis pa-
 rentibus procreati, sicut ceteri pecca-
 to originali nascuntur infecti, nec
 ea, quæ a Theologis vocantur habitu-
 dines, atque in nobis reperiuntur, quam-
 vis eadem nec ipsimet sponte contra-
 xerimus, meritoria tamen, aut deme-
 ritoria facere possumus, quale est pec-
 catum originale in nobis existens, quin
 quicquam egerimus, unde hujus pec-
 cati nos reos fecimus, id tamen nos
 non minus reddit infensos oculis Dei,
 qui nil nisi peccatum odisse potest, II.
 pravæ inclinationes nos reddunt ma-
 los etiam tunc, quando non agimus,
 proin etiam bonæ propensiones eundem
 producant effectum, quia tam hæ,
 quam illæ non possunt alios proferre
 effectus, quam sibi similes: re ipsa autem
 isti producantur, quando ad ipsum ac-
 tum pervenimus. III. Ea ex ratio-
 ne lex divina nobis prohibet malas
 habitudines æque, ac malas actiones,
 nihilominus veritati innititur hæc re-
 gula: *Deus nihil impossibile præcipit:*
 quam-

cap. 9.

cap. 10.

cap. 11.

cap. 12.

quamvis ea diverso modo juxta duplicem ^{Sæcul XVI.}
 hominis statum, ceu ejusdem ut inno- ^{A.C. 1565.}
 centis, & lapsi conditionem explican-
 da veniat. IV. De primo statu certum
 constat, quod homo absque omni im-
 pedimento, & difficultate omnia Dei
 præcepta adimplere, ejusque prohibi-
 tiones evitare potuerit. Verum post
 ejus lapsum, ut absque noëvo vivere
 valeat, non tantum, quod homo habeat
 operandi voluntatem, omnino sufficit,
 sed insuper requiritur, ut Deus sua gra-
 tia eandem voluntatem nostram adju-
 vet, nam ad hoc, ut soli agamus, no-
 stræ vires nimium infirmæ sunt, sem-
 perque in vitia incurremus, absque
 hoc auxilio omnipotentis Dei: natura
 æquidem homini deservire potuit ad
 id, ne in quamdam prævaricationem
 incideret, postquam vero eadem erat
 corrupta, hac potestate caret, & sola
 peccandi voluntas illum in lapsum ade-
 git, adeo, ut quasi necessario peccem-
 us, quia semel peccavimus. Bajus
 ut hanc suam tueretur opinionem, plu-
 res sacræ Scripturæ, & Sanctorum
 Patrum textus allegat, & postea hæc sub-
 jungit: „verissime igitur dicitur, quod
 „Deus homini nihil impossibile præ-
 „ceperit, si illum juxta primam ejus in-
 „tegritatem consideramus, & juxta vi-
 „res, quas Deus illi in ejus creatione

Sæcul. XVI.

A.C. 1565.

„contulit: id vero de homine lapso di-
 „ci nequit, nisi quatenus consideratur
 „adjutus auxilio Dei, quo id, quod pro-
 „priis hominis viribus post lapsum in-
 „possibile fuit factum, non modo possi-
 „bile, sed etiam Sanctis facile reddi-
 „tur. „ Ceterum haud immorari ex-
 „pedit illis quæstionibus, quas Bajus in
 capite decimo tertio movet, quærens
 quare solum Adæ peccatum ad poste-
 ros, nec æque cetera ejus vitia transie-
 rint. In capite decimo quarto asserit
 quod remissio peccato originali adhuc
 tamen illius effectus in nobis experia-
 mur: verum id omnibus aliunde fat no-
 tum est: ubi autem in capite decimo
 quinto affirmat, quod lex membrorum,
 seu carnis libido in sanctis mala sit non
 minus ex eo, quia pœna, quam etiam in-
 obedientia est erga Dei legem, id majore
 continet difficultatem: utrumque vero
 Bajus in hoc capite comprobatum
 reddere nititur, ibidemque demonstrat,
 quod hæc membrorum lex in nobis
 regnet in pœnam, qua castigatur ho-
 minis inobedientia, nec non arrogatum
 sibi supremum imperium, mentisque
 elatio, qua ejus intellectus contra Crea-
 torem suum insurgere ausus est: porro hæc
 eadem conditio, ad quam per peccatum
 suum redactus est, hominem insuper
 incitat, ut continuo sese rebellem Deo
 ex-

cap. 13.

cap. 14.

cap. 15.

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

exhibeat, ejusque præceptis resistat, necnon illius jussis sese subducat, ac quicquid justum, honestumque præcipitur, transgrediatur. In hoc articulo Bajus nil nisi sacræ Scripturæ, Patrumque verbis utitur, nilque aliud profert, nisi id, quod quivis homo in se experitur, qui cum Divo Paulo exclamare cogitur: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hanc contra Dei præcepta rebellionem, ac repugnantiam in omni eo, quod justum est, appellat Bajus inobedientiam erga legem, qua Deus omnium Creator petit, ut omnia ei sint subjecta, quamvis omnia in nobis contra Deum pugnent: eapropter juxta Bajum Divus Ambrosius legem membrorum appellat iniquitatem, etiam postquam peccatum remissum fuit per Baptismum, eoquod juxta hunc sanctum Doctorem injustitiam sapiat, quod caro concupiscat contra Spiritum, ex adverso justum est, quod Spiritus concupiscat contra carnem: nam tunc, concludit Bajus, si Spiritus insurgit contra carnem, obedit legi divinæ, ergo quando caro tumultuatur contra Spiritum, hæc rebellio est inobedientia erga Dei legem. Por-

Rom. 7. v. 22.
& 23.

cap. 16. & 17.

G g 5 ro

Sæcul. XVI.
A.C 1565.

ro idem Doctor in duobus postremis capitibus demonstrat, quod hæc repugnantia legis membrorum, involuntariique cupiditatis motus, & concupiscentiæ effectus, qui etiam nobis nolentibus fiunt, in justis peccata non sint.

§. XLIX.

Tractatus de merito operum.

Tractatus de operum meritis in duos libros divisus est, in quibus Bajus hæc se comprobaturum spondebat. „Sic, „ut damnatio extitit æquum peccati „stipendium in Angelis peccantibus, „ita etiam felicitas æterna fuit justa „meriti merces in Angelis, qui „deles remansere: nec minus ob ean- „dem rationem hæc felicitas non fuisset „gratia, sed justa retributio in homine, „si usque ad finem perseverasset in bono, „in quo creatus erat: sicut etiam homo „mundatus, ac per Christi sanguinem „pro ipso effusum reparatus re ipsa ob „merita sua a Deo per justum istius ju- „diciu[m] accipit vitam æternam antea „amissam, cum hoc tamen discrimine, „quod pro homine innocente vita æ- „terna fuisset nil nisi retributio merito- „rum ejus, pro homine autem lapsa, „qui per mortis Christi applicationem „fuit reparatus, vita æterna sit simul „& gratia, & meriti merces. „ Hæc sunt,